

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XXX.

S Cum typographus noster Argentinam iter facturus esset, nolui eum sine meis ad te literis dimittere, ne si in te incidere, mihi vetus crimen obijcere possis, te nullas unquam à me literas accepisse. Sum equidem ad scribendum tardior, amicitiam autem & necessitudinem cum optimis & doctissimis viris, quæ mihi intercessit, nollem novo silentio dirimi, maximè verò conjunctionem nostram summam, de qua te minime dubitare existimo, utcunque vinculum hoc mutæ scriptiois hætenus fuerit paulo imbecillius. Te valetudo adversa, me labores & occupationes impediverunt. Dimittas mihi, & Ego tibi; & sic legis Christi partem implebimus, si hæc onera, quibus tamen neuter alteri oneri fuit, invicem portaverimus. Post discessum tuum, quo loco res vestræ essent, scire cuperem, de quibus breviter, si licet, aliquid scribere potes. Sicut & de Ecclesiis Gallicis, quarum miseria nos affici decet, etiamsi hac parte doctrinæ à nobis dissentiant. Non omnium dierum sol occidit, si feliciter Comitæ Imperialia cesserint, invenietur fortassis huic malo etiam remedium. Brentius cum Collegis meis per gratiam DEI benè valet. Ex quibus D. Herbrandus & D. Theodoricus Schnepfius te cum tuis reverenter salutant. Uxori vestræ honestissimæ cum collegis vestris reverenter meo nomine salutem dicas. Raptim 26. Septembris, Anno 62.

D. Valentinum Erythræum quæso etiam diligenter meo nomine salutes.

Tuus ut semper

Jacobus Andreæ.

XXXI.

S In Domino. Te pristinæ valetudini restitutum, clarissime vir, Ecclesiæ, & Scholæ, nec non Reipublicæ vestræ ex animo gratulor. Quamquam enim multos esse scio, qui te & aliis bonis optime carere posse opinentur, tamen optimi quique in hoc perturbatissimo rerum statu norunt, quam necessaria, quamque utilis sit tua & tui similibus præsentia. Rogarunt me hi duo juvenes Andreas Mader & Gallus Stammer, ut ipsos tibi commendarem: Hoc officium ipsis, fretus potissimum tua erga me benevolentia, denegare nec potui, nec volui. Possunt (ut ex ipsis intellexi) ad annum unum suis sumptibus sese alere, quod apud vos versari volunt, tuo & aliorum collegarum auxilio fortassis opus habebunt. Eos ergo tuæ humanitati commendo, planè persuasus, te ipsis nomine etiam meo, quantum fieri potest, gratificaturum.

Heri

Hæc vidi Nova vetera, (tali enim inscriptione placuit Swermeris vestris ornare raphodiam publicatam) obstupui certè, maximè cum legerem nomen Sturmii, & Huberti. Habere certè millia, quæ tecum conferrem: sed quia meruendum est, ne literæ vel intercipientur vel ad alienas manus deveniant, ideo hæc omnia differo ad colloquium privatam, de quo noster M. Zinnius aliquam spem fecit. Bene vale, Clarissime vir, & meo nomine honorificum Conventum, nec non honestissimam uxorem tuam officiosè & reverenter salutato. Raptim Ulmæ, 25. Aprilis Anno 62.

T. humanitatem reverenter colens

Rabus, D.



XXXII.

S In Domino. Clarissime vir, amice & frater in Christo honrande. Dimisso hodie ad horam quintam reverendo viro, D: Johanne Flinnero, qui mecum tuo & reliquorum fratrum capita vobis exponet, rogavit me urbis nostræ coram brevi collationis nostræ capita vobis exponet, rogavit me urbis nostræ primarius, vir integerrimus, & religionis nostræ studiosissimus, ut qualisnam esset Jacobus Böcklin, à Böcklinsaw, civis vester, diligentius inquirerent. Cum enim hic Jacobus Dominis meis sit commendatus à singulari quâdam scientia rei militaris, fieri posset, ut ab eis vocaretur & in Capitaneum urbis nostræ eligeretur.

Res ipsa extra professionem quidem nostram est, sed tamen gratificandum erit optimo viro, tam honesta petenti. Te ergo peramanter rogo & oro, ut hoc nuncio, quem proprium Domini mei ablegarunt, equidem videretur, non aliam, nisi quam jam memini, ob causam, certi quid significes: Qualisnam sit prædictus Jacobus Böcklin, quem scio esse fratrem Ulmanni & Wolffgangi defuncti: cujus religionis, hoc enim imprimis scire cupiunt. Num Augustanæ Confessioni adjunctus? Quid etiam in re militari præstare possit? Memini ego, quod superioribus annis, cum lætaliter decumberet, à me acceperit Cœnam Domini: Sed ut tempora sic & hominum mores plerumq; consueverunt mutari. Idè officiosè rogo, ut diligenter inquiras de ipsius vita, conversatione, moribus, rei militaris scientia, maximè verò Religione: Et hoc nuncio ad me perferibas: Intellego Dominos meos ipso uti velle, ut autem scripsi, pro Capitaneo, qui etiam in obsidionibus consilio & fortitudine aliquid præstare possit. Potes hoc ipsum clam percontari à Dominis tuis, ma-
ximè